
Sitzler, Jakob
Emendationes theognideae

Emendationes Theognideae.

Scripsit

Dr. J. Sitzler.

Appendix libelli gymnasii, quod est Aurelia Aquensi.



Aurelia Aquensi.
TYPIS EXPRESSIT A. v. HAGEN.
MDCCCLXXVIII.


LIBRARY
AUG 29 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

Theognidis versibus multi viri docti per hosce annos plurimum navaverunt operae, alii, ut libris accuratius quam antea excussis firmius emendandi fundamentum iacerent, alii, ut singulos, in quibus haererent, locos pertractarent et corrigerent. Atque in illorum numero habendi sunt *Pressel* et van der *Mey*, qui cod. A denuo contulerunt, *Ziegler* et *Hart* et *Hinck*, qui cod. OK accuratius examinaverunt; in his vero ceteris praestant *Bergk*, *Hartung*, *Leutsch*, *Hecker*, *Heimsoeth*, qui tres emendationum Theognidearum partes scripsit, *Herwerden*, alii. Tamen restant multa, in quibus legentes offendant, non pauca, quae adhuc omnes emendandi conatus eluserint. Atque in quae ego iterum iterumque hunc poetam lectitans incidi, eorum aliquam partem ipsius libri ordine servato iam in medio prolaturus sum, ut, quantum possum, huius poetae interpretationem adiuvem. Neque vero in hac re Theognideae, quae dicitur, quaestionis rationem habebo, sed omnes locos, sive Theognidis sunt sive non sunt, si quid habeam, quod de eis moneam, promiscue tractabo, praesertim cum in editione Theognidis, quae iam in publicum prodibit, accurate aperuerim, quid de illa quaestione sentiam.

Ac primus quidem locus, quem tractaturi sumus, exstat in *versibus 101 sq.*, quibus Theognis gravibus verbis ab amicitia *malorum* revocat. Malos enim ait non par pari referre, si quid eis intuleris boni, si quid mali, etiam omnium superiorum beneficiorum memoriam abiicere. Quare *bonos* sequaris; nam, pergit poeta vv. 111—112:

οἱ δ' ἀγαθοὶ τὸ μέγιστον ἐπαυρίσκουσι παθόντες,
μνῆμα δ' ἔχουσ' ἀγαθῶν καὶ χάριν ἐξοπίσω.

Haec verba antecedentibus contraria esse cum ex tota huius loci ratione apparet tum optime ex v. 112 cernitur, qui versui 110:

ἢν δ' ἕν ἁμάρτῃς,
τῶν πρόσθεν πάντων ἐκκέχυται φιλότης.

aperte opponitur: „*mali, cum sibi iniuriam passi esse videntur, beneficiorum acceptorum obliviscuntur; boni meminerunt et gratos se praebent.*" Quid igitur veri similius est quam versum quoque 111 antecedenti 108:

οὔτε κακοὺς εὖ δρῶν εὖ πάλιν ἀντελάβοις.

respondere? Atqui cum v. 108 dicatur *malos beneficiorum acceptorum gratiam non referre*, v. 111 poetam dicere oportet *bonos beneficia beneficiis referre.*

Huic vero, quae postulatur, sententiae verbum ἐπαυρίσκειν refragari videtur. Nam ut forma activa ἐπαυρίσκω nusquam legitur, ita eae, quae leguntur, formae activae, ut ἐπαυρεῖ apud Hesiod. opp. et. dies. 419 et ἐπηῦρον apud Homerum, alia atque ab hoc loco aliena significatione usurpantur. Saepissime autem reperitur forma media ἐπαυρίσκεσθαι, quae significat: „*bonum vel malum ex aliqua re capere.*" Jam vero si veri simile esset Graecos eadem significatione activa quoque forma usos esse, activum ἐπαυρίσκειν significaret: „*bonum vel malum alicui afferre,*" ut e. gr. ὀνίναμαι et ὀνίνημι, et Theognidem coniicias scripsisse: εὖ ἐπαυρίσκουσι s. εὖ 'παυρίσκουσι. Sed cum hoc mihi nunc quidem dubium videatur, alia circumspiciamus.

Atque viri docti multa excogitaverunt, quibus his versibus mederentur, veluti Ahrens ἀμαυρίσκουσι, Emperius ἐπαμπίσχουσι, Bergk ἐλαφρίζουσι, Heimsoeth τὰ μέγιστ᾽ ἀποφλαυρίζουσι: quae coniecturae omnes non solum sententiae, quam requiri supra vidimus, repugnant, sed etiam, ut Hartung recte monet, ea re laborant, quod verbum πάσχειν, media quae dicitur vox, attributo non addito in malam partem accipi nequit. Quod vero ipse Hartung proposuit: τὰ μέγιστ᾽ εὖ παῖρ᾽ ἴσκουσι, propter inauditam significationem verbi ἴσκειν, quod vernaculo verbo „vergelten" interpretatur, recipi non licet.

Quae cum ita sint, nos putamus legendum esse:

οἱ δ᾽ ἀγαθοὶ τὸ μέγιστον εὖ αὖ ῥέζουσι παθόντες,

quod et sententiae, quae postulatur, et linguae Graecae legibus satis facit. Nam adiectivum τὸ μέγιστον accusativus est interioris, quod dicitur, obiecti, qui cum verbo εὖ ῥέζειν, quod idem est ac ὠφελεῖν, coniungendus est, cf v. c. Demosthen. 20, 119: ἐκεῖνοι μεγάλ᾽ εὖ παθόντες οὐδὲν ἐτίμησαν. Neque in articulo τὸ μέγιστον neque in singulari est, quod offendas, cf Xenoph. memor. 4, 8, 11: Σωκράτης δίκαιος ἦν οὕτως ὥστε βλάπτειν μὲν μηδὲν μικρὸν μηδένα, ὠφελεῖν δὲ τὰ μέγιστα τοὺς χρωμένους ἑαυτῷ et Cyrop. 2, 4, 26: ἐᾶσαι χρὴ τοὺς ἄνδρας τὸ μέτριον ἀποκοιμηθῆναι. Deinde ad particulam αὖ, quae significat: *„contra, vicissim"*, cf Xenoph. symp. 4, 49: ἂν διδόασιν, ἀεὶ αὖ παρέχομαι. Adverbium εὖ denique etiam ad participium παθόντες referri, vix est, quod moneam. —

Versus 197 sq. Bergk cod. A secutus sic constituit:

χρῆμα δ᾽ ὃ μὲν Διόθεν καὶ σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται
  καὶ καθαρῶς, αἰεὶ παρμόνιμον τελέθει.
εἰ δ᾽ἀδίκως παρὰ καιρὸν ἀνὴρ φιλοκερδέϊ θυμῷ
  κτήσεται εἴθ᾽ ὅρκῳ παρ τὸ δίκαιον ἑλών,
αὐτίκα μέν τι κτλ.

Sed pro χρῆμα δ᾽ ὃ μὲν habet O χρῆμαθ᾽ ᾧ, K χρήματα ᾧ, reliqui χρήματα δ᾽ ᾧ: quas lectiones omnes ex A derivatas esse primo obtutu videbis; quare etiam coniectura Lachmanni χρῆμαθ᾽ ὅτῳ scribentis reiicienda est. Sed ne codicis A quidem lectio mihi integra videtur. Nam cum hoc mihi carminis initium esse videatur, cui quid praegressum sit, non intelligo, puto scribendum esse: χρῆμ᾽ ὅ κε sive χρῆμ᾽ ὅ τε: quaecunque res etc.

Sed locus nondum persanatus est; offendo enim in verbis παρὰ καιρὸν v. 199, quae mihi ab hoc loco aliena videntur. Et Bergk ea *„praeter ius"* esse interpretatur, aliis laudatis locis, ubi substantivo καιρός eandem significationem vindicare vult. At καιρός neque hic neque ullo alio loco *„ius"* significat, sed ubique *„iustum vel tempus vel locum, opportunitatem"*. Nec verba παρὰ καιρόν me unquam alia memini legere significatione quam *„inopportuno tempore, intempestive"*, cf v. c. Phocylid. 16. Sed etiamsi concesserimus παρὰ καιρόν *„praeter ius"* significare posse, nonne verba παρὰ καιρόν et ἀδίκως importunam tautologiam efficient?

Quodsi verba παρὰ καιρόν quin corrupta sint non dubium videtur, eorum loco quid substituendum sit, ex antithesi facile videbimus. Cum enim illi antecedenti σὺν δίκῃ adverbium ἀδίκως, illi καθαρῶς verba εἴθ ὅρκῳ παρ τὸ δίκαιον ἑλών respondeant, quid magis consentaneum est quam verba παρὰ καιρόν ad illud Διόθεν referri? Scribimus igitur παρὰ δαίμον᾽, quod idem valet atque *„invito deo"*, ut apud Homerum Il. 17, 98 πρὸς δαίμονα, optimeque illi Διόθεν opponitur. —

Versum 260 optimi codices AOK sic exhibent:

φεύγειν ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον,

quae verba cum aperte in metrum peccent, deteriores libri manifesta correctione in φεύγειν ὠσαμένη immutaverunt. Sed nullus dubito, quin illud ἀπωσαμένη a poeta ipso profectum sit; nam quo alio modo putas etiam contra metrum in optimos libros irrepere potuisse? Hoc vero

concesso fieri non potest, quin verbum *φεύγειν* vitium contraxerit. Et Bergk quidem locum ita sanare conatur, ut pro verbo *φεύγειν* infinitivum doricum *φεῦγεν* s. *φεύγεν* scribat. Sed mihi potius verbum *φεύγειν glossema verbi τρέσσαι* videtur, ut antiquitus *τρέσσαι ἀπωσαμένη* scriptum fuerit. Ad hoc glossema cf Suidas s. v. *τρέσσαι : τρέσας ἀντὶ τοῦ φυγών — τρέσαι* (l. *τρέσσαι*) *δ' οὐκέτι ῥίμφα φέρον πόδες* (Il. 13, 515) *ἀντὶ τοῦ φυγεῖν*. Eiusmodi vero glossemata saepius verba genuina loco movisse inter omnes constat. —

Versibus 261 sq. initium erotici, quod dicitur, carminis exstat, quod in libris sic legitur:

οὔ μοι πίνεται οἶνος, ἐπεὶ παρὰ παιδὶ τερείνῃ
ἄλλος ἀνὴρ κατέχει πολλὸν ἐμοῦ κακίων.
ψυχρόν μοι παρὰ τῇδε φίλοι πίνουσι τοκῆες,
ὥς θ' ἅμα θ' ὑδρεύει καί με γοῶσα φέρει.
ἔνθα μέσην περὶ παῖδα βαλὼν ἀγκῶν' ἐφίλησα
δείρην, ἡ δὲ τέρεν φθέγγετ' ἀπὸ στόματος,

qui versus viros doctos magnopere exercuerunt. Et primum quidem distichon integrum esse videtur. Nam quod *Hermannus* et *Hertzberg* et *Emperius* in verbo *κατέχει* haeserunt, id quo iure fecerint ipsi videant. Nam verbum *κατέχειν*, quod proprie *„occupatum tenere"* significat, etiam *intransitive*, i. e. sine obiecto, usurpari constat, idque *duplici* significatione. Notissimum est enim illud *ὁ λόγος κατέχει*; similiter Euripid. Hippol. 1466: *τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς φῆμαι μᾶλλον κατέχουσι*. Aristoph. Aves 1316: *κατέχουσι δ' ἔρωτες ἐμᾶς πόλεως*. Herodot. 6, 40: *τὰ κατέχοντα πρήγματα*: quibus in locis vulgo substantivum *τοὺς ἀνθρώπους* supplent. In eiusmodi structuris nos verbum *κατέχειν* verbis *gehen, herrschen, obwalten,* similibus vertere possumus.

Sed huc locum, de quo agimus, vix referas; nam in his omnibus exemplis de rebus, non de hominibus sermo est. Et *altera* verbi *κατέχειν* significatio est *„appellere"*, ubi vulgo substantivum *ναῦν* supplent, cf v. c. Sophocl. Philoct. 221: *τίνες ποτ' ἐς γῆν τήνδε κἀκ ποίας τύχης κατέσχετε*; Sed a re navali etiam ad alias res transfertur, cf Soph. El. 503: *εἰ μὴ τόδε φάσμα νυκτὸς εὖ κατασχήσει*. Atque eodem pertinet hic, de quo agimus, locus, ubi *κατέχει* idem valet ac *„devertitur, commoratur"*. Hae a re navali ductae metaphorae apud Graecos satis frequentes sunt, cf e. g. verbum *κατάγεσθαι,* quod, ut *κατέχειν, proprie de re navali* dictum, ut Xenoph. Hellen. 6, 2, 36: *ὁ μέντοι Ἰφικράτης τὰς μὲν τριήρεις ἀκρωτηριασάμενος ἕλκων κατηγάγετο εἰς τὸν τῶν Κερκυραίων λιμένα,* ad *alia quoque itinera trans fertur*, ut ibid. 4, 5, 18: *διϊὼν δὲ ἐπ' οἴκου ὡς μὲν ἐδύνατο ὀψιαίτατα κατήγετο εἰς τὰς πόλεις, ὡς δ' ἐδύνατο πρωϊαίτατα ἐξωρμᾶτο*. symp. 1, 11: *Φίλιππος δ' ὁ γελωτοποιὸς κρούσας τὴν θύραν εἶπε τῷ ὑπακούσαντι εἰσαγγεῖλαι ὅστις τ' εἴη καὶ διότι κατάγεσθαι βούλοιτο*. Ne vero in verbis *παρὰ παιδὶ τερείνῃ* offendas, vide Xenoph. symp. 8, 39: *πρόξενοι κατάγονται παρά σοι*. Herod. 8, 117: *ἐνθαῦτα δὲ κατεχόμενοι* (i. e. forma media) *σιτία τε πλείω ἢ κατ' ὁδὸν ἐλάγχανον*. Est enim *κατέχειν παρά τινα* idem ac *„deverti ad aliquem", κ. παρά τινι* idem ac *„deverti ad aliquem et manere cum eo"*. Ita mihi in primo disticho omnia expedita esse videntur.

Sed longe alia res est cum v. 263, qui sensum, qualis quadrare videtur, non praebet. Itaque viri docti alii alia excogitaverunt. Et *Hermannus* quidem pro *ψυχρόν* coniecit *ψυχροί*, qua coniectura quid lucremur, mente assequi non possum. *Kayser* autem pro *τῇδε φίλοι πίνουσι* scribi vult: *τῇδ' ἐπιχλευάζουσι,* quod cum huius sequentisque distichi sententia non male consentit, sed primo disticho repugnat; nam si puella poetam invitis parentibus amat atque aquans convenit, non est, quod poeta querelas illas fundat. *Hartung* porro pro *πίνουσι* proposuit *προπίνουσι,* quod ipsius metri causa ferri nequit. *Heimsoethius* denique *συχνὸν — ἐπινοοῦσι* legi vult. At ita desideratur obiectum verbi *ἐπινοεῖν,* quod vix deesse potest: quamquam sane *ἐπινοοῦσι* verbum est, quod h. l. requiritur et in quod ego quoque incidi.

Maiora moliti sunt alii viri docti, ut *Sauppe,* qui coniecit: *ψυχρόν μοι πάρα. τῆς δὲ φίλοι πίνουσι τοκῆες, οἷς ἅμα θ' ὑδρεύει καί με γοῶσ' ἀφαρεῖ*, collato Hesychio: *ἀφαρεῖ ἱδροῖ, ἀνιμᾶται*, ubi *ὑδρεύει* corrigit; *Ahrens: ψυχρὸν τὸν — κλίνουσι — γοῶσ' ἀφορᾷ*; *O. Schneider: ψυχρὸν γάρ μοι τῇσδε φ. πνείουσι τ. — θροεῖ*. In has omnes coniecturas cadit, quod supra contra *Kayserum* monuimus, poetae querelas vix intelligi posse, si puella eum amat ac nesciis parentibus convenit. Praeterea in eis, quae *Sauppe* coniecit, verba *τῆς δὲ φίλοι πίνουσι τοκῆες* obscura, *ἀφαρεῖ* incertum, tautologia verborum *ὑδρεύει* et *ἀφαρεῖ* molesta est. Nec minus offendimus in *Schneideri* coniectura: *ψυχρόν μοι πνείουσι τοκῆες*.

Sed nondum omnia, quae ad hos versus emendandos viri docti excogitaverunt, enumeravimus. Nam versus quoque 264, qui mihi integerrimus videtur, multifarie tentatus est. Et *Brunck* quidem *ἡ δέ θ' ἅμ' ὑδρεύει καί με γοῶσα καλεῖ* proposuit; *Schneidewin* autem: *οἶσθ' ἅμα θ' ὑδρεύει*; *Heimsoeth* denique *ἔσθ'* pro *ὥσθ'* scripsit; quae coniecturae, cum praegresso versu nitantur, simul cum eo stant conciduntque. Postremum etiam verbum *φέρει* multis displicuit. Et quae *Sauppe, Schneider, Ahrens* eius loco substitui voluerunt, supra vidimus; *Hermann* autem suspicatur olim scriptum fuisse *θέρει, Goeller φλέγει*, *Heimsoeth γελῶσα θροεῖ*; idemque v. 265 verba *ἀγκῶν' ἐφίλησα* in *ἀγκῶνα φίλημι* mutari vult.

Jam vero omnibus, ni fallor, virorum doctorum coniecturis propositis ab ultimis exorsi, quid nobis videatur, exponamus. Ac v. 264 integrum esse supra diximus. Nam verbum *φέρειν,* in quo plurimi haeserunt, ut saepissime de *rebus*, quas quis fert, ut *κακά, ἄλγη,* similia, ita interdum de *hominibus,* quos quis fert, dicitur. Quasi transitum a rebus ad homines facit Sophocl. Oed. Tyc. 675: *αἱ δὲ τοιαῦται φύσεις αὑταῖς δικαίως εἰσὶν ἄλγισται φέρειν*. De *homine* legitur eiusdem tragoediae v. 1211: *πῶς αἱ πατρῷαί σ' ἄλοκες φέρειν — σῖγ' ἐδυνάθησαν ἐς τοσόνδε*; Eodemque modo Xenophon memor. 2, 2, 10 dicit: *ἐγὼ μὲν οἶμαι, εἰ τοιαύτην μὴ δύνασαι φέρειν μητέρα, τἀγαθά σε οὐ δύνασθαι φέρειν*. Prorsus vero cum hoc, quem tractamus, loco congruit, quod Xenoph. mem. 2, 3, 5 scribit: *ἴσως ἂν δέοι φέρειν τὸν ἀδελφὸν καὶ μὴ μικρῶν ἕνεκα φεύγειν*. Nam ut hic verba *μὴ φεύγειν* verbo *φέρειν* opponuntur, eodem modo in Theognidis (?) loco: fert amantem, non fugit.

Atque ex hoc versu cognoscimus puellam aquantem poetam convenire et cum eo „dulce loqui, dulce ridere“, ut sequente disticho docemur. Quod si vere ac sincere faceret, non esset, cur poeta, ut versibus 261—2 facit, querelas funderet. Nunc vero ex ipsis versibus 263—6 sequitur non solitam ac quotidianam rem tradi, sed eam, quae semel facta est: hoc demonstrat aoristus *ἐφίλησα,* quem *Heimsoeth* ob hanc causam removeri vult; idemque aoristus antecedentia praesentia docet historica esse. Atque hanc rem si cum querelis primi distichi contulerimus, non iam dubitabimus, quin his versibus agatur de decipiendo poeta, de laqueis ei ponendis. Existimo igitur v. 263 legendum esse: *ψυδρόν μοι παρὰ τῇδε φίλοι ἐπινοοῦσι τοκῆες*. Jam omnia patent: parentes, inquit poeta, falsa, i. e. dolum, insidias, in me excogitant apud filiam sive opera filiae, i. e. ita, ut filia dolum perficiat, insidias struat; vides igitur ne illud *παρὰ τῇδε* quidem otiosum esse, ut nonnulli putaverunt. Hoc vero parentum consilio permota quid filia fecerit, versu 264 docetur; itaque etiam *ὥστε* recte se habet.

Quae cum ita sint, rem omnem sic animo fingimus. Poeta puellam deperit, cuius gratiam sibi conciliavisse videtur. Sed alius supervenit, genere ille quidem poeta inferior, sed pecunia superior, cui iam ipsa puella eiusque parentes favent. Quam ob rem ut poetam deterreant, non iam admittunt; sed cum hic novi ignarus amoris suum amorem prae se ferre non desistat, dolum excogitant, quo eum ulciscantur. Puella enim aquatum it; poeta, qui, ut solet, prope est, accurrit, ut eam conveniat. Ex composito illa poetam fert questa fortunam suam, quasi a parentibus cum amasio congredi impediatur. Quid secutum sit, carmine ipso non describitur; sed ex querelis, quae ab initio carminis leguntur, concludi licet poetam intellexisse alium a

puella sibi praeferri. Nam parentes et amasius novus eis supervenisse videntur, a quibus poeta fortasse male tractatus est: inde illa: ψυδρόν μοι παρὰ τῇδε φίλοι ἐπινοοῦσι τοκῆες. —

Versibus 271 sq. homo senex, qui impios filios habet, queritur omnium gravissimum malum esse,

παῖδες ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις,
χρήματα δ' εἰ καταθῇς πόλλ' ἀνιηρὰ παθών,
τὸν πατέρ' ἐχθαίρουσι, καταρῶνται δ' ἀπολέσθαι,
καὶ στυγέουσ' ὥσπερ πτωχὸν ἐσερχόμενον:

ita habet A sec. van der Mey, idemque Bergk coniectura assecutus erat; sed reliqui libri exhibent δ' ἐγκαταθῇς, unde sequi videtur in archetypo aliud quid scriptum fuisse. Non enim veri simile est futurum fuisse, ut verba δ' εἰ καταθῇς in verba δ' ἐγκαταθῇς mutarentur, sed potius δ' ἐγκαταθῇς, cui verbo hic locus non est, in illud δ' εἰ καταθῇς. Inde apparet locum corruptum esse. Atque eodem ducit concinnitas disturbata, cum v. 275 ἐπεί cum optativo et v. 276 εἰ cum coniunctivo habeamus.

Et hoc vitium ut tolleret, *Hartung* coniecit scribendum esse: παρασχὼν χρήματα κατθείης. Non recte, opinor; nam illud ἄρμενα πάντα παρέχειν non subiunctum, sed adiunctum est sequenti χρήματα καταθεῖναι. Accedit, quod haec, quae *Hartung* coniecit, vix in illa, quae legimus, abire potuerunt.

Atque equidem puto antiquitus scriptum fuisse: χρῆμά τε κατθείης. Ad χρῆμα ***per singularem dictum***, ubi vulgo ***pluralis*** usurpari solet cf. Suidas s. v. χρῆμα· πρᾶγμα ἢ κτῆμα, πλοῦτος, οὐσία, λῆμμα. Quocum comparandus est Pollux 9, 81: διότι χρήματα μὲν εἴποιεν οἱ Ἀττικοί. τὸ δὲ χρῆμα μὲν αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ πράγματος ἢ κτήματος. παρὰ δὲ τοῖς Ἴωσι καὶ ἐπὶ τῶν χρημάτων. Et legimus apud. Herod. III, 38 singularem ea, quam Pollux dicit, significatione. Ceterum vide Koenium ad Gregor. Cor. p. 183; Jacobs. lect. Stob. p. 42; Meinek. analect. crit. ad Stob. in ed. Stob. p. 160. Atque ipsa haec insolita forma causa corruptelae fuisse videtur; nam ut librarii insuetum illud χρῆμα cum particula sequente τε in vulgare illud χρήματα mutaverunt, particula δὲ coniunctionis causa addenda erat; ut vero versus staret, ex littera ε in particula τέ ἐγ et eodem tempore ex rariore forma κατθείης usitatior καταθῇς facta est, ut malum malum ducit. Ceterum ad ἐπεὶ cum optativo cf. Xenoph. Oecon. 11, 12: ἐπεί τις ἐσθίειν τὰ ἱκανὰ ἔχοι, ἐκπονοῦντι ὀρθῶς μᾶλλον δοκεῖ μοι ἡ ὑγίεια παραμένειν.

Restat, ut addamus sequente versu melius τοί quam τόν legi; nam τοί subiectum vi quadam repetit et effert, quod hoc loco aptissimum videtur. —

Versus 283 sq. in libris sic exstant:

ἀστῶν μηδενὶ πιστὸς ἐὼν πόδα τόνδε πρόβαινε,
μήθ' ὅρκῳ πίσυνος μήτε φιλημοσύνῃ,

sed pro πρόβαινε K habet προβαίνες, et pro pronomine τόνδε omnes editores genetivum τῶνδε receperunt, quem Hermann coniecit.

Tamen ita mihi nondum omnia in integrum restituta videntur; offendunt enim verba πόδα πρόβαινε, quae me non memini unquam legere *nude* dicta, ea, quam h. l. habent significatione, ut *„esse, versari"* valeant, sed semper *addito* aut *loco, quo quis pedes fert,* aut *verbo, cuius actio illa locutione accuratius describitur*, i. e. *locutio* πόδα προβαίνειν *nunquam statui, in quo quis est, denotando inservit*, *sed semper,* ut ipsius locutionis natura declarat, *actionem exprimit.* Ita legimus apud Euripid. El. 94: καὶ τειχέων μὲν ἐντὸς οὐ βαίνω πόδα. Aristoph. eccles. 161: ἐγὼ ἐκκλησιάσουσ' οὐκ ἂν προβαίην τὸν πόδα τὸν ἕτερον. Eurip. Phoen. 1412: προβὰς δὲ κῶλον δεξιὸν δι' ὀμφαλοῦ καθῆκεν ἔγχος σφονδύλοις τ' ἐνήρμοσεν.

Quae cum ita sint, non tam mirum est, quam *Bergkio* videtur, quod *Emperius* ποδαποίδε pro πόδα τόνδε suspicatus est; quamquam ne hoc quidem sufficere videtur. Ego existimo scribendum esse: πόιε τῶνδε προφαίνῃ, i. e. noli te praestare eum, qui ulli unquam horum civium fidem habeas, sive cave cuiquam horum civium unquam fidem habeas. Constructio verbi φαίνεσθαι cum participio nota est. —

Versus 287—8 saepissime a viris doctis tentati sunt. Et in optimo libro A sic scribuntur:

ἐν γάρ τοι πόλει ὧδε κακοψόγῳ ἁνδάνει οὐδέν.
ὡςδετοσωσαιεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι,

sed pro κακοψόγῳ K habet κακούργῳ, quae aut correctio aut imprudentia librarii esse videtur; similiter litteras sequentes ὡσδετοσωσαιεὶ, quae intellegi nequeunt, ceteri libri in verba: ὡς δὲ τὸ σῶσαι οἱ, Palatinus autem in ὥστε τὸ κτλ. corrigunt, quae ipsius metri causa ferri non possunt; pro ἀνολβότεροι denique OK librarii errore exhibent ἀναιβότεροι.

Atque hos versus ut emendarent, viri docti multum dederunt operae. Et *Camerarius* quidem priore versu pro τοί scripsit τῇ, quo tamen facile carere possumus. Neque sine offensione erat adiectivum κακοψόγῳ, cuius loco *Boissonade* καλοψόγῳ, *Emperius* ἀκροψόγῳ, *Bergk* φιλοψόγῳ substitui vult. At ne in hoc quidem vocabulo video, quid recte vituperes. Nam etsi hoc adiectivum aliunde mihi non notum est, tamen recte formatum est; est enim determinativum, quod dicitur, compositum, quod aut idem valet ac κακῶς ψέγων, male, i. e. *maligne vituperans*, ut κακολόγος, κακοπράγμων etc., aut idem ac male, i. e. *nimis vituperans*, ut κακόσινος, κακοφθόρος etc. Similis vel eadem πόλις κακοψόγος vv. 367—70 accurate describitur.

Quodsi hoc versu mutatione non opus esse videtur, eo corruptior sequens versus est. Atque viri docti alii alia proposuerunt remedia. Et *Hermann* quidem scribit: ὡς δέ τις (sc. ἁνδάνει), ὣς ἀΐει πολλὸν ἀνολβότερος: ut quisque placet, ita stolidior multo audit ceteris civibus. Artificiose et subobscure, ut Welcker recte monet. Similiter *Mähly*: ὡς δέ τις, ὣς αἰεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι: ut vero aliquis (sc. placet), ita plerique sunt miseriores. Quod ingenue fateor me non intellecturum fuisse, nisi adnotasset: τίς est μούναρχος s. τύραννος! *Kayser* autem: ὡς δὲ καὶ ὀρθῶσαι πολλῷ ἀνολβοτέρη. At valde dubito, annon Graece dici possit: ἀνολβοτέρη ὡς ὀρθῶσαι pro ἢ ὥστε s. ὡς. Praeterea etiam aegre obiectum verbi ὀρθῶσαι desideramus.

Alii viri docti verbum σῶσαι vel adiectivum σῶς retinent, ut *Welcker*: ὥσθ' οἱ σῶες ἀεὶ π. ἀ., quocum *Geel* consentit; similiter *Schneidewin*: ὥσθ' οἱ σῶς αἰεί κτλ. At in his coniecturis et verba οἱ σῶες s. σῶς displicent neque sententia apta videtur. Contra *Schoemannum* autem, qui ὥστε δὲ σῶς εἶναι πολλῷ ἀνολβότερος coniecit, idem monendum est atque contra *Kayserum*. Alii porro pro ὡς s. ὥστε praepositionem ἐς scripserunt, ut *Boissonade*: ἐς δὲ τὸ σῶσ' αἰεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι; similiter *Hartung*: ἐς δὲ τὸ σῶσαι τοὶ π. ἀ. At hae quoque coniecturae in linguam Graecam peccare videntur; nam quis dixit: ἀνολβότεροι ἐς τὸ σῶσαι pro ἢ ὥστε σῶσαι? Neque vero sententiae satis faciunt; nam quae est *oppositio* inter ἁνδάνειν et σῶσαι? Potius dicendum erat: *nullum consilium placet*, sed *ipsi sese tueri non possunt.* Accedit, quod verbum σῶσαι non habet, quo referatur. Atque hoc vitium tollunt, relinquunt cetera *Orelli*, qui ἐς δὲ τὸ σῶν αἰεί κτλ., et *Emperius*, qui ἐς δὲ τὸ σῶς εἶναι πολλὸν ἀνολβοτέρη coniecit.

Restant coniecturae *Bergkii*: ὡς ἐτὰ νώσασθαι et ὡς νώσασθ' αἰεὶ κτλ., et *Heimsoethii*: ἐς δὲ τὸ νώσασθ' οἱ κτλ., in quae eadem fere cadunt, quae contra reliquas coniecturas monuimus: abhorrent ab usu linguae Graecae neque sententiae satis faciunt, quae postulat: ὡς αὐτοὶ ἐτὰ ν. et ἐς δὲ τὸ αὐτοὶ ν. κτλ. Nec magis placet, quod idem *Bergk* coniecit: δὶς δὲ τόσως αἰεὶ π. ἀ.; non enim liquet, quo iure δὶς τόσως dicatur, cum comparatio nulla instituatur.

Ahrens denique suspicatur scribendum esse: *οὐδ' ἐτός, ὡς αἰεὶ π. α.* At illud *οὐδ' ἐτός,* i. e. *nec temere, nec sine causa,* h. l. non ferendum est. Nam primum *οὐκ ἐτός* scribendum erat, cum ea sollemnis sit horum verborum apud Graecos formula. Deinde vero haec locutio ex vulgari ac quotidiano hominum sermone desumpta ab elegis abhorrere videtur; propria est pedestris orationis et comoediae. Accedit, quod locutionem *οὐκ ἐτός* a scriptoribus Graecis semper ita lego dici, ut ea *sententia, quae efficitur ex antecedente, inferatur* aut addita particula *ἄρα* aut, id quod saepius fit, omissa; nunquam vero *nude,* i. e. sine sententia aut verbo, dictum repperi. Atque ipsa res, quae ex antecedente sententia efficitur, ea esse solet, ut *ei, qui concludit, iam antea illa quidem nota fuerit, sed ita, ut eius causam nunc demum intellegat.* Veluti Plat. r. pub. III p. 414e: *οὐκ ἐτός, ἔφη, πάλαι ᾐσχύνου τὸ ψεῦδος λέγειν,* postquam is, ad quem haec verba directa sunt, rem, quam enarrare sese vereri dixerat, tandem cum aliis communicavit; similiter Aristophan. Thesmoph. 921: *οὐκ ἐτὸς πάλαι ᾐγυπτιάζετε* exclamat mulier, cum eos inter se colludere cognovit. ibid. Plut. 1166: *οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ σπένδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν,* postquam praecessit: *ὡς ἀγαθόν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν.* Lysistr. 138: *οὐκ ἐτὸς ἀφ' ἡμῶν εἰσιν αἱ τραγῳδίαι. οὐδὲν γάρ ἐσμεν πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη* exclamat Lysistrata, quae, cum mulieribus, ut viris abstinerent, suasisset, repulsam tulit. Plato r. publ. VIII p. 568: *οὐκ ἐτὸς, ἦν δ' ἐγώ, ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ;* causa enim in antecedentibus iam in universum significata est. Aristoph. Plut. 404: *οὐκ ἐτὸς ἄρ' ὡς ἔμ' ἦλθεν οὐδεπώποτε,* postquam mulier Plutum caecum esse comperit. ibid. eccles. 246: *οὐκ ἐτὸς ἄρ', ὦ μέλ', ἦσθα δεινὴ καὶ σοφή* exclamat mulier, cum audivit Praxagoram, quae modo praeclara oratione habita omnes maxima admiratione affecerat, saepius cum viro in contionibus fuisse ibique contionari didicisse. Jam vero vides Theognidis loci rationem prorsus aliam esse; potius enim dicendum erat: *οἱ πολλοὶ ἀνολβότεροι. οὐκ ἐτὸς οὐδὲν ἁνδάνει αὐτοῖς.*

Quae cum ita sint, omnibus virorum doctorum coniecturis omissis a codice A nobis proficiscendum est. Atque A, ut supra diximus, versum ita scriptum habet: *ὡςδετοσωσαιεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι,* in quo integra videntur verba *αἰεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι,* quorum sensus est: plebs semper stolidior s. stolida est. Quam sententiam si cum praegressa contulerimus, videbimus eas inter se bene consentire: plebi consilia nulla probantur; plebs stulta est semper. Quare puto scribendum esse: *ὡς ἐτύμως αἰεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι,* i. e. quam vere semper plebs stulta est s. quam verum est dictum illud plebem semper stultam esse! Atque usus comparativi pro positivo, si adiectivum maiore quadam vi effertur, ex Homero notissimus est. Ad sententiam ipsam cf. v. 232 et 847, ubi plebs *κενεόφρων* vocatur; simillimi vero his versibus sunt vv. 367 sq., ubi etiam dicitur: *μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται,* Praeterea vide vv. 35 sq., 149 sq., 319 sq., 393 sq., 429 sq., 635 sq., 683 sq., 1025 sq., 1183—4: quibus omnibus locis plebem rectae rationis prudentiaeque expertem esse dicitur.

Ceterum hos versus cum antecedentibus coniungendos existimo. Nam ratio huius loci mihi haec videtur esse, ut poeta amicum, qui plebi fidem habiturus ac suasurus est, ab hac re revocet: plebi ait non esse credendum, ne iuranti quidem, cum omnia consilia vituperet reprehendatque. Sed hac re memorata cum poetae bilis denuo moveatur, cum ira et indignatione exclamat:

ὡς ἐτύμως αἰεὶ πολλοὶ ἀνολβότεροι! —

Versibus 295 sq. homo loquax sive parasitus describitur:

κωτίλῳ ἀνθρώπῳ σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος,
φθεγγόμενος δ' ἀδαής, οἷσι παρῇ, μέλεται
ἐχθαίρουσι δὲ πάντες κτλ.

Ita libri exhibent. Sed alter versus 296 magnae fuit offensioni et propter adiectivum ἀδαής et propter verbum μέλεται. Et confitendum est ab hoc loco alienum esse adiectivum ἀδαής, cuius loco *Hoeschel* ἀαδής coniecit, quod adiectivum mihi aliunde ignotum est, etsi facile a verbo ἀαδεῖν· ὀχλεῖν, ἀδικεῖσθαι, quod Suidas habet, derivari potest. Gravius est, quod hoc modo cum *Camerario* etiam μέλεται in πέλεται mutari oportet. Imo vero ne sensui quidem bene haec coniectura accomodata est; nam post verba σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος exspectas simile quid ac: *„semper autem loquitur"*; ira atque indignatione cum reliquos convivas afficere sequentibus versibus docemur.

Sed multo magis et propter vocabulum et propter metrum displicet *Hartungii* coniectura ἀσαρός (ἀσαρής), quod adiectivum *„nauseam s. fastidium movens"* esse interpretatur. *Herwerden* porro versum ita constituit: φθεγγομένου δ' ἅμ' ἄση, τοῖσι παρῇ, πέλεται, multa molitus, sed, ut mihi videtur, neque sententiae neque verbis bene consulens. Nec magis nobis probatur, quod *Emperius* tentavit: φθεγγομένου δ' ἀλέης, οἷσι παρῇ, μέλεται, quae verba quomodo cum sequentibus: ἀναγκαίη δ' ἐπίμιξις consentiunt? Nisi vero putas adiectivum ἀναγκαίη cum *Piersono* in ἀνιηρή immutandum esse.

Jam exponamus, quid nobis videatur. Et primum quidem existimamus verba φθεγγόμενος et μέλεται integra esse. Nam verbum μέλεσθαι, quod proprie valet curare, curas habere, bene de parasito dicitur, qui omnes convivas promiscue sermonibus suis iocisque delectare studet, *de omnibus igitur, quibuscum est, ei cura est,* i. e. μέλεται. Sponte vides me ante verbum μέλεται genetivum τῶν supplere. Jam participio φθεγγόμενος addito indicatur, *qua in re* parasiti cura sita sit; ut enim is, qui convivium instituit, convivis vina epulasque proponenda curat, ita parasitus *sermones iocosque.* Ad hunc usum cf. Xenoph. oecon. 13, 2: τί ὄφελος ἰατροῦ, ὃς ἐπιμελοῖτο μὲν κάμνοντός τινος πρωί τε ἰὼν καὶ ὀψέ, ὅτι δὲ συμφέρον τῷ κάμνοντι ποιεῖν εἴη, τοῦτο μὴ εἰδείη; similiter vectig. 5, 9 cyrop. 2, 1, 22; alia. Parasitum vero significari ex vv. 297—8 cerni licet.

Hactenus omnia bene procedunt. Sed quid illud ἀδαής sibi vult, quod h. l. ferri non posse iam monuimus? Cuius loco quid substituendum sit, cognoscemus, si meminerimus, quid parasiti naturae proprium atque insitum sit. Nempe hoc, ut *sine ulla verecundia* semper sermocinetur, impudenter atque insolenter: ea enim illa parasiti cura diligentiaque convivas delectandi his apparet. Mihi igitur videtur olim scriptum fuisse ἀδεής, quod adiectivum optime de eiusmodi homine dicitur: *sermocinans utpote homo inverecundus omnes, quibuscum est, sibi curae habet.* Similiter dicit Horat. epod. 11, 13: simul calentis *inverecundus deus* (i. e. Bacchus) fervidiore mero arcana promorat loco.

Sed adiectivum ἀδεής alia quoque re commendatur. Homerus enim tribus locis (Il. 8, 423. 21, 481. Od. 19, 91) de *impudentibus* hominibus κύον ἀδδεές dicit. Atque constat canem apud Graecos perfectissimam esse impudentiae imaginem. Sed non solum *homines impudentes* κύνες vocati sunt, sed etiam κόλακες et παράσιτοι, qui, ut canes, homines nobiles comitari solebant; ita legitur προκύων ap. Poseidipp. 18, 4 ed. Hartung. Jam vero vides ipse, quam apte adiectivum ἀδεής h. l. dictum sit, quippe quod statim κύνα in memoriam audientium et legentium revocet. Etiam verbum φθέγγεσθαι ad hanc sententiam quadrat, quod, etsi non ab Homero, tamen a posterioribus etiam *de bestiis* dicitur cf. lexic. In universum de parasito cf. Athen. VI. —

Versibus 309 sq. praecepta de conviviis recte agendis dantur, quae vulgo sic leguntur:

ἐν μὲν συσσίτοισιν ἀνὴρ πεπνυμένος εἶναι,
πάντα δέ μιν λήθειν ὡς ἀπέοντα δόκει.
εἰς δὲ φέροι τὰ γελοῖα· θύρηφι δὲ καρτερὸς εἴη,
γιγνώσκων ὀργήν, ἥντιν' ἕκαστος ἔχει;

sed pro infinitivo *εἶναι*, quem A exhibet, reliqui codices habent *ἴσθι*; pro *λήθειν* pauci libri deteriores (BCFM) *λήθην*; pro *φέροι* O (BFM) *φέρει*; *δὲ* post *θύρηφι* omisit A; pro *καρτερός* OK habent *καρατερόν*; pro *εἴη* denique omnes deteriores *εἴης*.

Et in his versibus primum imperativus *δόκει* suspectus est, cuius loco *Geel* sequentium optativorum ratione habita recte scripsisse videtur optativum *δοκοῖ*, quo versus in integrum restituitur; nam quod Camerarius pro *δέ μιν λήθειν* coniecit *δ' ὁμιλήτην*, id suo iure editores reiecerunt.

Sed etiam in primo versu vitium latere videtur in infinitivo *εἶναι*, qui neque imperativi vicibus fungi potest propter sequentes optativos neque ex verbo *δοκοῖ* aptus bonum efficit sensum. Et *Hermannus* pro eo optativum *εἴη* scribi vult, sed ne ita quidem ea, quae requiritur, sententia evadit; non enim *prudens* in conviviis homo esse debet, sed, ut vv. 310—11 docent, *hilaris*. Puto igitur scribendum esse *εὔφρων*, ad quod adiectivum sequens illud *δοκοῖ* refertur. Infinitivus *εἶναι* autem, quem reliqui codices in imperativum *ἴσθι* correxerunt, inde natus esse videtur, quod archetypi litterae pallidae fuerunt.

Atque hac coniectura probata non iam transpositione, quam *Bergk* proposuit, opus erit, cum omnia bene procedant: in conviviis, inquit poeta, prudens homo hilaris appareat et immemor omnium, quae foris sunt, rerum, atque ioca in convivium inferat; severus autem foris esto. Vides etiam verbum *εἰσφέρειν*, in quo multi offenderunt, optime se habere. Hoc enim verbum proprie de *omnibus eis rebus* dicitur, *quas quis in coenaculum infert*, ut de *poculis* Xenoph. cyrop. 8, 8, 10; de *κύκλῳ ὀρθῶν ξιφῶν* symp. 2, 11; de *portionibus*, quae a convivis ad *ἔρανον* in feruntur cyrop. 7, 1, 12: *ὦ ἄνδρες*, dicit Cyrus de pugna, *εἰς τίνα ποτ' ἂν καλλίονα ἔρανον ἀλλήλους παρακαλέσαιμεν ἢ εἰς τόνδε. νῦν γὰρ ἔξεστιν ἀγαθοῖς ἀνδράσι γενομένοις πολλὰ κἀγαθὰ ἀλλήλοις εἰςενεγκεῖν.* Ac prorsus similiter h. l. *ioca portiones dicuntur*, *quas secum quisque convivarum inferat.* Missa igitur faciemus, quae viri docti coniecerunt, ut *Kayser* *εὖ δὲ κτλ.*, *Ahrens εἰ δὲ φέροιτο γελοῖα*, *Heimsoeth ἐν δὲ φέροι.*

Quod vero idem *Heimsoeth* *κάρχαρος* pro *καρτερός* coniecit, ne id quidem necessarium est; nam quam bene adiectivum *καρτερός* illi *εὔφρων* et *γελοῖα* opponatur, videri licet ex Xenoph. Ages. 5, 2: *ἡγεῖτο γὰρ ἄρχοντι προσήκειν οὐ μαλακίᾳ, ἀλλὰ καρτερίᾳ τῶν ἰδιωτῶν περιεῖναι*; ibid. 11, 9: *μετ' ὀλίγων δέ μοι δοκεῖ ἀνθρώπων οὐ καρτερίαν τὴν ἀρετὴν, ἀλλ' εὐπάθειαν νομίζειν.* —

Versibus 337 sq. prima ac summa antiquorum exstat precatio, quae in libris ita legitur:

Ζεύς μοι τῶν τε φίλων δοίη τίσιν, οἵ με φιλεῦσιν,
τῶν τ' ἐχθρῶν μεῖζον, Κύρνε, δυνησόμενον;

sed pro *δοίη* OK habent *δώῃ*; praeterea in K verba *μεῖζον Κύρνε* transponuntur *Κύρνε μεῖζον*, calami lapsu, ut videtur.

Atque in priore huius distichi versu *Jacobs* putat pro *δοίη* scribendum esse *θείη*, quod tamen non necessarium est. Nam *Ζεύς μοι δοίη τίσιν* idem est ac *Ζεύς μοι δοίη τίνεσθαι κτλ.*, in quo certe nihil est, quod vituperes. Neque vero ambigua sunt haec verba, ut quis *δοῦναι τίσιν* idem esse putet ac *„poenas dare"*, id quod ipso addito pronomine *μοί* excluditur.

Ceterum h. l. notandum est substantivum *τίσιν* et in bonam et in malam accipi partem, ut latinum illud „gratiam referre". Nam sensus horum verborum is est, ut poeta precetur, ut et amicis et inimicis gratiam referre sibi contingat. Atque cum ad amicos verba *οἵ με φιλεῦσιν* addantur, simile quid etiam ad inimicos adiectum fuisse verisimile est, idemque verba corrupta *μεῖζον δυνησόμενον* demonstrant. Quod additamentum quale fuerit, ex illo *οἵ με φιλεῦσιν* colligi potest: *„amici amant, oderunt inimici"*. Neque tamen hoc simplex *odisse* satis est, quoniam odisse in *omnes* inimicos cadit, generosi vero viri est non omnes inimicos ulcisci, sed *eos, qui odium in ipsum expromserunt, ei nocuerunt.* Atqui *infirmiores* et *viribus inferiores*

inimicos, si quid in nos peccaverunt, *ipsi* statim ulcisci solemus. Ergo, cum h. l. poeta *Jovis auxilium imploret,* sequitur, ut inimicis succubuerit, *inimici ipso potentiores facti sint:* haec corruptorum verborum fuerit sententia necesse est.

Ab hac vero, quae necessario requiritur, sententia abhorrent, quae viri docti coniecerunt, ut *Hermann* δυνησομένην, *Boissonade* δυνησομένων, *Geel* ὀδυνησομένων, *Schaefer* δυνησομένῳ, *Bergk* ὀδυνησέμεναι, *Sauppe* δυνησαμένῳ, *Heimsoeth* μείζω, Κύρν', ὀδύνην θέμεναι. His igitur omnibus reiectis coniecturis equidem puto scribendum esse: δυνησαμένων, i. e. qui me plus potuerunt, potentiores fuerunt, vel si ad res Megarenses referas, qui nos dominatione privaverunt. Insolita autem et obsoleta, etsi apud Homerum non raro legitur, forma aoristi ἐδυνησάμην videtur causa corruptelae fuisse.

Ceterum de hac precatione cf. Xenoph. Hiero 2, 2 et 6, 12, ubi tyranni felices praedicantur, quod sunt ἱκανώτατοι κακῶσαι μὲν ἐχθρούς, ὀνῆσαι δὲ φίλους; similiter Cyrus in Cyrop 8, 7, 7 eo, quem moriens ad amicos habet, sermone maxime gloriatur, quod „τοὺς μὲν φίλους ἐπεῖδον δι' ἐμοῦ εὐδαίμονας γενομένους, τοὺς δὲ πολεμίους ὑπ' ἐμοῦ δουλωθέντας“; idem ibid. 28 filios admonet: τοὺς φίλους εὐεργετοῦντες καὶ τοὺς ἐχθροὺς δυνήσεσθε κολάζειν, alia. —

Versus 341 sq. eiusdem sunt argumenti ac vv. 337—40. Atque v. 341 in codicibus sic legitur:

ἀλλά, Ζεῦ, τέλεσόν μοι, Ὀλύμπιε, καίριον εὐχήν;

sed quid h. l. adiectivum καίριον significet, mente assequi non possum; non enim, ut vulgo, *„opportunus, aptus“,* similia, valere potest. Atque eius loco *Emperius* adiectivum κύριον proposuit: *„summam* meam ac *primam“* precationem. Melius id quidem; quamquam equidem puto elegorum poetam non *formis masculinis* καίριον et κύριον, sed *femininis* καιρίαν et κυρίαν usuros fuisse; nam fere *Attici,* non *Jonici* scriptores haec adiectiva per duas terminationes frequentant. Quare nescio an antiquitus scriptum fuerit: ποίνιμον εὐχήν, quod ipso carmine optime commendatur; *ultoria* enim precatio hoc carmen recte appellari potest. —

Neque in sequentibus versibus qui in codicibus sic traduntur:

αἶσα γὰρ οὕτως ἐστί. τίσις δ' οὐ φαίνεται ἡμῖν
ἀνδρῶν, οἳ τἀμὰ χρήματ' ἔχουσι βίῃ
συλήσαντες κτλ.

omnia bene procedunt. Nam etsi confitendum est sine ulla offensione orationem sic continuari potuisse, ut poeta diceret: hoc enim fatum est, sc. homines et bona et mala habere; at (apud nos non viget, nam) nobis ultio non contingit eorum, qui etc.: tamen hoc modo si poeta perrexisset, versus 349—50:

τῶν εἴη μέλαν αἷμα πιεῖν ἐπί τ' ἐσθλὸς ὄροιτο
δαίμων, ὃς κατ' ἐμὸν νοῦν τελέσειε τάδε.

haud dubie omittendi erant. Poeta enim, postquam omnibus rebus desperatis exclamavit: τίσις δ' οὐ φαίνεται ἡμῖν κτλ., non iam redire potest ad precationem illam, ut ulciscendi facultas sibi detur. Atqui hos versus non est, quod reprehendas aut poetae abroges. Existimo igitur pro οὐ φαίνεται olim scriptum fuisse: αὖ φαίνοιθ', quod librarii propter rariorem versus compositionem — in quinto enim pede spondeus est — in οὐ φαίνεται mutaverunt. —

Poeta vero secundum codices sic pergit:

ἐγὼ δὲ κύων ἐπέρησα χαράδρην,
χειμάρρῳ ποταμῷ πάντ' ἀποσεισάμενος;

quibus in verbis mihi substantivum κύων vix recte se habere videtur. Nam ut κύων, id quod non nunquam usu venit, eodem modo atque ὥσπερ, ὡς κύων comparationi instituendae inserviat,

tamen h. l. attributum postulatur, quale est *„exagitatus“* vel simile quid; in *nuda* enim voce *κύων* ***miseriarum*** notionem inesse non habeo, quo demonstrem exemplo. Et *Ahrens* pro *κύων* coniecit *κακῶν*. Quod si recte se haberet, certe exspectares *ἀποσειόμενος*, ut omittam ita sententiam antecedenti similiorem fore. Nec minus reiiciendum est *ἀέκων*, quod *Heimsoethius* excogitavit; quo additamento nescio quid sit otiosius. Mihi potius participium *φυγών* scribendum videtur, ut verba *φυγὼν ἐπέρησα* iungenda sint: trans torrentem fugiens natavi, i. e. ipso periculo vitae effugi.

In sequentibus vero *Heimsoeth* recte coniecit legendum esse: *χαράδρην χειμάρρου ποταμοῦ*; non enim fugiens in *torrente* poeta *omnia amisit*, quasi suas res secum asportavisset, sed *domi;* fugiens autem trans torrentem natavit, ut omnibus amissis *vitam servaret*. Substantivum *χαράδρα* autem alveum torrentis significare et ex Hesychio s. v. intelligitur et ex Homero Il. 4, 454. Itaque *Hartungii* coniectura *ἀποερσάμενος* pro *ἀποσεισάμενος* non opus est; nec magis id, quod *Emperius* versu sequente coniecit: *ἐπεὶ ἐσθλὸς ὄροιτο δαίμων κτλ.* —

Versus 365—6 A sic exhibet:

ἴσχι νόῳ, γλώσσης δὲ τὸ μείλιχον αἰὲν ἐπέστω.
δούλων τοι τελέθει καρδίη ὀξυτέρη;

sed reliqui libri habent *ἴσχε νόον* et *γλώσσῃ* — *ἐπέσθω*, quae lectiones mihi ex cod. A derivatae videntur; nam postquam librarii pro forma *ἴσχι*, quae intelligi nequit, imperativum *ἴσχε* et pro *ἐπέστω* verbum frequentius *ἐπέσθω* scripserunt, etiam *νόῳ* in *νόον* et *γλώσσης* in *γλώσσῃ* mutare debebant.

Quae cum ita sint, in cod. A antiquissimae exstat lectionis vestigium, quod in hoc versu emendando nobis premendum est. Atque quae A praebet, in eis praeter illud *ἴσχι* non est quod reprehendas. Omnia igitur integra erunt, dummodo pro *ἴσχι* scribas *ἴσχεο*; littera o autem propter sequens substantivum *νόῳ* facile intercidere poterat. Itaque legimus:

ἴσχεο νόῳ, γλώσσης δὲ τὸ μείλιχον αἰὲν ἐπέστω,

i. e. tege, dissimula mentem tuam, linguae autem dulcedo tibi semper adsit. Eodem modo verbum *ἴσχομαι* legitur apud Homer. Od. 11, 251: *νῦν δ' ἔρχευ πρὸς δῶμα καὶ ἴσχεο μηδ' ὀνομήνῃς*; similiter *ἰσχανᾶσθαι* Od. 7, 161: *οἵδε δὲ σὸν μῦθον ποτιδέγμενοι ἰσχανόωνται.* Nos vertere possumus: *„an sich halten, hinter dem Berg halten“*. De sententia vide vv. 60 sq.

Jam vero si haec recte disputata sunt, non est, quod multis refutemus, quae viri docti ad hunc locum corrigendum excogitaverunt, ut *Ahrens ἴσθι νόῳ, Hartung ἰσχνὰ νόῳ Schneidewin ἰσχινόῳ γλώσσῃ δὲ κτλ.* —

Versibus 373 sq. poeta Jovem maximum, et qui hominum animos probe pernovit, secundum vulgatam sic alloquitur:

πῶς δή σευ, Κρονίδη, τολμᾷ νόος ἄνδρας ἀλιτρούς
ἐν ταὐτῇ μοίρῃ τόν τε δίκαιον ἔχειν,
ἤν τ' ἐπὶ σωφροσύνην τρεφθῇ νόος ἤν τε πρὸς ὕβριν
ἀνθρώπων ἀδίκοις ἔργμασι πειθομένων.
οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν
οὐδ' ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.
ἔμπης δ' ὄλβον ἔχουσιν ἀπήμονα. τοὶ δ' ἀπὸ δειλῶν
ἔργων ἴσχοντες θυμὸν ὅμως πενίην,
μητέρ' ἀμηχανίης, ἔλαβον κτλ.;

sed pro *ἤν τ' ἐπὶ σωφροσύνην* A habet *ἐπισωφροσύνην*, OK etiam contra metrum *ἤν τε πρὸς σ.* et O praeterea *σω φροσύνην*. Deinde v. 382 pro *ὁδόν* OK exhibet *ὁδός*, ita tamen, ut K *ος* in rasura habeat. Et editores plerique *ὁδός* in textum receperunt; at *ὁδόν*, ut optimo libro

traditur, ita optime tuetur inversa, quae dicitur, attractione casuum. Denique v. 384 omnes praeter A codices habent *ἴσχονται* pro *ἴσχοντες*.

In his versibus primum haeremus in disticho 381—2, quod ab hoc loco alienum esse omnes viri docti viderunt. Et *Hermann* quidem id post v. 378 transponi voluit, quem *Ahrens* et *Hartung* secuti sunt. Sed rectius *Emperius* hos versus ut adventicium additamentum sive glossema, quod versuum continuationem disturbat, exterminavit.

Sed ita versus nondum prorsus sanati videntur. Nam nonne mirum videtur, quod v. 379 priori substantivo praepositio *ἐπί*, alteri *πρός* additur, idque eo magis, quod OK etiam contra metrum priore quoque loco *πρός* habent atque A ipse sine separatione *ἐπισωφροσύνη*, ut illud *πις* facile ex *πρός* corrumpi potuerit? Accedit, quod hi versus parum apte, ut vulgo fit, cum antecedentibus iunguntur, cum illa substantiva *ἄνδρας ἀλιτρούς* et *τὸν δίκαιον* et per se perspicua sint et *si* a poeta explicarentur, certe *aliter* explicarentur. Nonne multo aptius ad sequentia: *ἔμπης δ' ὄλβον ἔχουσι κτλ.* referuntur, quae necessario eiusmodi prodosin requirere videntur? Atque ita iungunt etiam *Hermann* et *Hartung*.

Sed etiam ita satis multa restant, in quibus offendamur. Primum enim poeta dicere nequit: „homines, *sive* boni *sive* mali sunt, *tamen* divitias habent", sed potius: „*etiamsi* mali sunt, *tamen* divitias habent"; id quod ipsis sequentibus verbis: *τοὶ δ' ἀπὸ δειλῶν ἔργων ἴσχοντες θυμὸν ὅμως πενίην ἔλαβον*, quae quidem illis opponuntur, aperte indicatur. Deinde ne v. 380 quidem ferri potest, quippe qui ad *unum* substantivum *ὕβριν*, non ad *duo σωφροσύνην* et *ὕβριν* referatur. Quocirco non sine causa *Ahrens* post v. 379 plene interpungit, versu 380 scribens: *ἄνθρωποι — πειθόμενοι* et v. 383: *ἔμπης ὄλβον ἔχουσιν*, quae tamen coniectura, ceteroquin satis violenta, id potissimum habet vituperii, quod illud *ἤν τε κτλ.* a versibus 383 sq. dirimit.

Quae cum ita sint, equidem puto scribendum esse:

ἤν τε πρὸς ἀφροσύνην τρεφθῇ νόος ἤν τε πρὸς ὕβριν
ἀνθρώπων ἀδίκοις ἔργμασι πειθομένων,
ἔμπης δ' ὄλβον ἔχουσιν κτλ.,

quo non solum omnes difficultates removentur, sed etiam librorum scripturae optime consulitur. Jam enim post v. 378 signo interrogationis posito et versibus 379—80 cum v. 383 coniunctis hic evadit sensus: „*sive animus ad stultitiam sive ad superbiam se convertit hominum iniustorum, tamen divitias habent*" etc. Ita etiam v. 380 bene se habet, et vv. 383 sq. optime antecedentibus opponuntur. Ceterum de particulis *ἤν τε — ἤν τε* cf. Viger. p. 517.

Restat, ut moneamus in versibus sequentibus cum A *ἴσχοντες* et *τὰ δίκαια φιλεῦντες* legendum esse. Nam sensus hic est, ut dicatur eos, qui a malis rebus abstineant, tamen (sc. etsi nihil mali faciunt, quod inest in verbis: *ἀπὸ δειλῶν ἔργων θυμὸν ἴσχοντες*) paupertate premi. De hoc particulae *ὅμως* usu cf. Viger. p. 428, qui e. g. Lucian. adv. indoct. T. III p. 115 laudat, ubi legitur: *εἰς τὰ μηδέν σοι χρήσιμον ὅμως* (sc. etsi tibi nihil prosunt) *ἐκ πολλῆς τῆς περιουσίας ἀναλίσκεις*. His poeta verbis *asseverandi* causa illa *τὰ δίκαια φιλεῦντες maiore quadam vi subiungit,* ut haec notio *maxime efferatur*. Itaque omnia optime procedunt. —

Versibus 469 sq. praecepta leguntur de conviviis recte agendis. Et v. 475 poeta secundum A ita pergit:

αὐτὰρ ἐγώ — μέτρον γὰρ ἔχω μελιηδέος οἴνου —
ὕπνου λυσικάκου μνήσομαι οἴκαδ' ἰών,
ἥξω δ', ὡς οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πεπόσθαι.
οὔτε τι γὰρ νήφω οὔτε λίην μεθύω;

sed v. 475 O omisit *γάρ*, K habet *μέτρον γε ἔχω*; deinde v. 477 CG exhibent *δείξω*, *Athenaeus* autem, qui lib. X p. 428 d hos versus laudat, *ἥκω*; v. 478 denique OK et reliqui fere omnes,

praeter A, *τοί* habent; *Athenaeus* vero hunc versum ita constituit: *οὔτε τι νήφων εἰμ' οὔτε λίαν μεθύω.*

In his versibus verba *ἥξω δ'* corrupta esse omnes viri docti viderunt; qui cum, quod Athenaeus habet, non melius esse putarent, alii alio modo hunc locum tentaverunt. Et *Emperius* quidem suspicatur scribendum esse: *λήξω.* At poeta, si hoc scripsisset, certe vv. 477—8 ante 476 posuisset, ut omittam sequentia verba: *ὡς οἶνος κτλ.* vix recte ad verbum *λήξω* referri posse. Nec magis in sententiam quadrat, quod *Ahrens* excogitavit: *ἕξω*; non enim *futurum* tempus huius verbi, sed *praesens* exspectaveris. Neque vero omnino, si haec huius loci ratio est, intelligo, cur mutatione opus sit; nam verbum *ἥκω* coniunctum cum adverbio apud Jones idem atque *ἔχω* significare ex Herodoto satis superque constat. *Heimsoethius* denique quod proposuit: *ἔξοιδ', ὡς κτλ.*, non solum mire quam friget et a poetico sermone abhorret, sed etiam v. 477 a v. 476 dirimit.

Quae cum ita sint, optimum existimo cum *Athenaeo* scribere: *ἥκω δ', ὡς κτλ.* sive *ἥκων, ὡς κτλ.*, quod bene et cum antecedentibus et cum sequentibus consentit. Valet enim hoc loco, ut saepe apud Herodotum et non nunquam apud Euripidem, verbum *ἥκω* idem ac vulgo *ἔχω*: *„se habere"*. Est igitur sensus huius loci: *„dormiam domum abiens, sic autem me habeo sive sic me habens, ut vinum homini maxime conducit"*, i. e. in solchem Zustande, wie der Wein für den Menschen am zuträglichsten ist. Praesens *ἥκω* propter antecedens futurum et ipsum in futurum immutatum esse videtur.

Jam haec condicio *qualis* sit, versu sequente exponitur:

οὔτε τι γὰρ νήφω οὔτε λίην μεθύω,

qui versus, etsi optimum efficit sensum, tamen propter hiatum *νήφω οὔτε* vitium contraxisse videtur. *Athenaeus* quidem videtur hac commotus causa omissa particula *γάρ* scripsisse: *οὔτε τι νήφων εἰμ' οὔτε λίαν μεθύω.* Vix enim ac ne vix quidem eo adducor, ut existimem, si ab ipso poeta illud *γάρ* omissum et *νήφων εἰμί* scriptum fuisset, librarios verbo *εἰμί* detruso *νήφω* scripturos et *γάρ* interserturos fuisse. Athenaeum vero libros non accurate secutum esse inde quoque apparet, quod *λίαν* pro *λίην* contra librorum auctoritatem scripsit. Qua de causa neque *Bergkii* coniectura: *ἕξω δ' — οὔτε τι νήφων εἰμ' οὔτε λίην μεθύων*, neque *Heimsoethii*: *οὔτ' ἄρα νήφων εἰμ' οὔτε λίην μεθύων* mihi probatur.

Alii autem viri docti hiatum ita removeri voluerunt, ut *particula γάρ eiecta* hunc versum *artius antecedenti annecterent*, ut *Ahrens*, qui *οὔτ' ἔτι δὴ νήφων οὔτε λίην μεθύων*, et *Hartung*, qui *οὔτε λίην νήφων οὔτε λίην μεθύων* scripsit. At hi et ipsi sine iusta causa particulam *γάρ* eliminant. Quid igitur nobis videtur? Ut supra iam diximus, *sensus integer* est, *metrum violatur.* Nonne igitur optimum et facillimum videtur scribere *νήφω γ'*, quo hiatus evitetur? De particula *γέ* similiter usurpata cf. Sophocl. Phil. 230: *οὐ γὰρ εἰκὸς οὔτ' ἐμὲ ὑμῶν ἁμαρτεῖν τοῦτό γ' οὔθ' ὑμᾶς ἐμοῦ.* Quam vero facile *γέ* hoc loco intercidere potuerit, vix est, quod moneam. —

Insequentibus eiusdem carminis versibus poeta incommoda persequitur ebrietatis, cuius causa ei videtur esse in multis atque in convivio necessariis poculis; legimus enim v. 489 sq:

ἡ μὲν γὰρ φέρεται φιλοτήσιος, ἡ δὲ πρόκειται,
τὴν δὲ θεοῖς σπένδεις, τὴν δ' ἐπὶ χειρὸς ἔχεις.
ἀρνεῖσθαι δ' οὐκ οἶδας. ἀνίκητος δέ τοι οὗτος,
ὃς πολλὰς πίνων μή τι μάταιον ἐρεῖ;

sed v. 491 A habet calami lapsu, ut videtur, *αἰνεῖσθαι*; idem habet v. 492 *πολλόν*, *K πολλά*, *O πολλὰς.*

In his versibus editores suo iure haerent in verbis *τὴν δ' ἐπὶ χειρὸς ἔχεις*, quae ab hoc loco aliena sunt. Eorum loco alii alia proposuerunt. Et *Bergk* quidem suspicatur olim scriptum fuisse: *ἐπὶ χεῖλος ἄγεις.* At idem dici potest de ceteris, quae hoc loco memorantur,

poculis, ut de eo, quod *φιλοτήσιον* vocatur. Idem monendum est contra id, quod *Hartung* coniecit: *ἐπὶ χείλεσ' ἔχεις*. *Hecker* autem legi vult: *τὴν δὲ πρόχειρον ἔχεις*, quod a ratione huius loci alienum est, quo certi cuiusdam poculi in convivio necessarii mentionem fieri cum ex antecedentibus verbis videri licet tum luculente ex sequente illo: *ἀρνεῖσθαι δ' οὐκ οἶδας* efficitur.

Sed si hos versus accuratius consideraverimus, haec pocula in convivio necessaria in duo divisa esse videbimus genera: in ea, quae ipsi convivae inter se bibunt, et in ea, quae ab eis in honorem absentium hauriuntur (v. 489 et v. 490). Nam ἡ *φιλοτήσιος κύλιξ* sive ἡ *φιλοτησία πόσις* ea est, quam amici alii aliis nominatim propinant cf. Critias 2, 3 sq. Sequentia vero verba: *ἣ δὲ πρόκειται* ad ea pocula referam, quae a magistro bibendi imperantur, cf Plat. symp. p. 176: *πίνειν ὅσον ἂν ἕκαστος βούληται, ἐπάναγκες δὲ μηδὲν εἶναι.* Theocrit. 14, 18: *ἦς πότος ἁδύς. ἤδη δὲ προϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον ὥτινος ἤθελ' ἕκαστος. ἔδει μόνον ὥτινος εἰπεῖν. ἄμμες μὲν φωνεῦντες ἐπίνομες, ὡς ἐδέδοκτο.* Atque verbum *φέρεται* idem valet atque: „*tibi apponitur sive tibi apponi iubes*", sc. a pincerna; verbum *προκεῖσθαι* autem significat h. l.: „*imperatum est omnibus s. palam*". Similiter legimus apud Xenoph. symp. 2, 7: *νυνὶ δὲ τὰ προκείμενα ἀποτελοῦμεν.* Herod. 1, 11: *ὥρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην ἢ τὸν δεσπότην ἀπολλύναι ἢ αὐτὸν ὑπ' ἄλλων ἀπόλλυσθαι.* Aeschyl. Pers. 371: *πᾶσι στέρεσθαι κρατὸς ἦν προκείμενον.* Sophocl. Antig. 36: *φόνον προκεῖσθαι δημόλευστον ἐν πόλει.*

Quodsi hic versus (489) optime se habet, alter ea re laborat, quod verba *τὴν δὲ θεοῖς σπένδεις* aperte significant poculum, quod in absentium honorem bibitur, non sequentia *τὴν δ' ἐπὶ χειρὸς ἔχεις*, quae ob hanc causam corrupta esse diximus. Quorum loco quid antiquitus scriptum fuerit, reperiemus, si nobiscum reputaverimus, quorum in honorem absentium veteres pocula haurire soliti sint. Sunt *dei* et *amasii*. Atqui *dei* verbis *τὴν δὲ θεοῖς σπένδεις* significantur. Ergo verborum corruptorum sensus is esse debet, ut dicatur: hoc poculum in honorem *amasii* potas. Scribo igitur: *τὴν δ' ἐπιχέῃ* (sive *ἐπιχέαι*) *τοῦ ἐρᾷς*. De verbo *ἐπιχεῖσθαί τινος*: in honorem alicuius bibere cf. Theocr. 14, 19, quem locum supra descripsimus; 2, 151: *αἰὲν Ἔρωτος* (i. e. amasii) *ἀκράτω ἐπεχεῖτο.* Poseid. 10, 1 (ed. Hartung): *Ναννοῦς καὶ Λύδης ἐπίχει δύο.* —

Restat, ut de adiectivo *ἀνίκητος*, quod v. 491 legitur, pauca verba faciamus. Ut enim ex antecedentibus verbis satis perspicue intellegitur, poeta non dicere potest *eum invictum esse*, qui his omnibus poculis haustis sanam mentem servet — quasi esset, qui hoc posset —, sed omnino *neminem esse*, qui tot poculis sumptis sana mente esse possit. Sequitur adiectivum *ἀνίκητος*, quod hanc significationem non habeat, corruptum esse.

Atque *Hecker* pro *ἀνίκητος* proposuit *ἀκίνητος*, qua coniectura quid lucremur, non intellego. Magis ad sensum, qui postulatur, accomodatum est, quod *Hartung* repperit: *ἀνίχνευτος*, quamquam vocabulum displicet. Mihi optimum videtur legere: *ἀγέννητος*, cuius sensus est: „nondum natus est sive non vivit", qui etc. De vocabulo cf. Sophocl. O. C. 973: *ἀγέννητος τότ' ἦ*; de sententia cf. Odyss. 6, 201: *οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτὸς οὐδὲ γένηται, ὅς κεν Φαιήκων ἀνδρῶν ἐς γαῖαν ἵκηται δηϊότητα φέρων*; maximeque Theognis 801: *οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτ' ἔσσεται οὔτε πέφυκεν, ὅστις πᾶσιν ἁδὼν δύσεται εἰς Ἀΐδεω.* —

Versus 511 sq. poeta ad hospitem, qui pauper ad ipsum pauperem venerat, misit, ut, quomodo eum excepturus esset, doceret. Ac postquam se ei, quae optima haberet, daturum professus est, pergit v. 515:

ἢν δέ τις ἔλθῃ
σεῦ φίλος ὤν, κατάκεισ', ὡς φιλότητος ἔχεις,
οὔτε τι τῶν ὄντων ἀποθήσομαι οὔτε τι μεῖζον
σῆς ἕνεκα ξενίης ἄλλοθεν οἰσόμεθα;

sed pro *δέ τις* v. 515 A habet sec. Schneidewin *δίης*; v. 516 idem sec. Schneidewin *φιλότητο ἔχεις,* sec. Mey *κατακεισωσφιλοτητο*; K denique pro *ἔχεις* habet *ἔχει.*

Atque in his versibus verbum *κατάκεισ'* corruptum esse inde apparere mihi videtur, quod neque cum antecedentibus neque cum sequentibus consentit. Sequentia vero verba: *ὡς φιλότητος ἔχεις,* non video, cur vituperes. Nam ut per se optimum praebent sensum, ita sequente disticho maxime affirmantur; verba *οὔτε τι κτλ.* enim explicant illa *ὡς φιλότητος ἔχεις*

Quo concesso iam longius progredi licet. Si enim versus, quos supra adscripsimus, cum sequentibus 519—20:

ἢν δέ τις εἰρωτᾷ τὸν ἐμὸν βίον, ὧδέ οἱ εἰπεῖν·
ὡς εὖ μὲν χαλεπῶς, ὡς χαλεπῶς δὲ μάλ' εὖ,

comparaveris, negare non poteris similitudinem quandam structurae inter utrosque intercedere; nam verba *ἢν δέ τις* v. 515 ad eadem v. 519 referuntur, verba *τὸν ἐμὸν βίον* eiusdem versus ad praegressa *ὡς φιλότητος ἔχεις* v. 516; denique ut vv. 517—8 illud *ὡς φιλότητος ἔχεις,* ita v. 520 verba *τὸν ἐμὸν βίον* accuratius definit.

Quae cum ita sint, in versibus 515—6, quos diximus corruptos esse, etiam verba infuisse puto, quae illis *εἰρωτᾷ* et *ὧδέ οἱ εἰπεῖν* responderent. Quare vide, nonne legendum sit:

ἢν δέ τις εἴρῃ
σεῦ φίλος ὤν, κατάειφ', ὡς φιλότητος ἔχεις.

Jam et responsio inter 515—6 et 519 perfecta et sententia est optima: „si quis amicus te rogabit, dic ei aperte et libere, qualis ratio sit hospitii tui; nam etc.“ De *κατάειφ' ὡς,* vix est, quod moneam Graecos cum verbis dicendi etc. et relativa et interrogativa coniunxisse, cf. e. gr. Soph. Trach. 1135: *εἰπὲ δ' ᾗ νοεῖς.* Ratio huius loci est: dic libere ita, ut res cum hospitio tuo est.

Quae si recte, ut opinor, disputata sunt, non opus est, ut multis refutemus, quae viri docti ad hunc locum emendandum excogitaverunt; satis erit ea paucis recensuisse. Et *Hartung* quidem cod. A lectione abusus scribi vult: *ἔνδιος ἦλθε εὖ, φίλος ὤν,* qua quidem coniectura et responsio inter 515 et 519 tollitur et v. 517 vix apte ad 516 additur. Hoc alterum valet etiam de *Bergkii* coniectura: *φίλος ὢν κἀκεῖσ', ὡς φιλότητας ἔχῃ,* et de *Heimsoethii: κατάγεσθ', ὡς φίλον ἦτορ ἔχῃ.* Quod vero idem *Bergk* coniecit: *κατάκεισ', ὦ φιλότης, τότ' ἐρῶ, κοὔτε κτλ.,* id nescio an ultimo repugnet disticho, ubi poeta dicit se *uni* hospiti satis habere, *pluribus* res suas non sufficere. Similiter res se habet cum coniectura *Schneidewini: καὶ κεῖσ', ὦ φίλ', ἔπος τόδ' ἐρεις,* vv. 691—2 adiungens, et *Leutschii: κατάκεισ', ὦ φιλότης, τότ' ἐρεῖς, οὔτε τι κτλ.* His, quas ultimo loco attulimus, coniecturis recte etiam artificiosa et ab usu huius sylloges aliena collocatio verborum obiici potest.

Reliquum est, ut de toto carmine, quod *Leutsch* in Philolog. XXIX, p. 664 sq. pertractavit, pauca verba faciamus. Atque *Leutsch* post v. 512 lacunam statuit, v. 513 scribens: *νεὼς ποτί τοι κτλ.* At mihi carmen integrum absolutumque videtur. Nam vv. 511—12 poeta causam indicat occasionemque, qua hoc carmen compositum sit, sequentibus argumentum ipsum persequitur. Atque cum ex primo disticho, ubi poeta se pauperem esse professus est, colligi possit eum hospitem non excepturum, id sequente disticho refutat. Etiam particula *τοί* duas sententias bene coniungit, quippe quae *asseverandi* vim habeat: *„sane, utique“,* ut sententiam, quae antecedentibus verbis subest, confirmet et comprobet. Ratio igitur huius loci haec est, ut poeta dicat: *„venisti ad me, expectans, ut te excipiam: sane tibi apponam, quae habeo“.* Vides igitur in hac particula nihil inesse, quod recte vituperes.

Ac postquam poeta dixit se hospitem excepturum quaeque haberet optima appositurum, iam sequentibus verbis accuratius exponit, quam hospitii sit rationem secuturus. Nulli rei ait, quam habeat, se parsurum, nullam mutuaturum esse; nam etsi ad *plures* hospites excipiendos

suae opes non sufficiant, tamen se satis habere, ut *unum* excipiat. Et haec poeta non sine arte ita protulit, ut hospitem quasi doceret, quid de hospitio suo atque hospite interrogatus amicis responderet: ita oratio vividior fit et alacrior. —

Versus 563 sq. in libris sic scripti exstant:

κεκλῆσθαι δ' ἐς δαῖτα, παρέζεσθαι δὲ παρ' ἐσθλόν
ἄνδρα χρεών, σοφίην πᾶσαν ἐπιστάμενον.
τοῦ συνιεῖν, ὁπόταν τι λέγῃ σοφόν, ὄφρα διδαχθῇς
καὶ τοῦτ' εἰς οἶκον κέρδος ἔχων ἀπίῃς;

sed v. 563 OK habent εἰς pro ἐς, A παρέξεσθαι pro παρέζεσθαι; idem A v. 565 διδαχθῇ pro διδαχθῇς. Reliqua, in quibus inter se differunt, mentione indigna videntur.

In his versibus, quos editores silentio praetermittunt, tamen non pauca insunt, quae merito nobis displiceant. Primum enim haec duo disticha nullo inter se vinculo coniuncta sunt, etsi loci ratio satis vehementer postulat, ut infinitivus συνιεῖν aeque ac παρέζεσθαι ad participium χρεών referatur. Neque vero ab hoc participio pendere possunt verba κεκλῆσθαι ἐς δαῖτα, quae ab initio leguntur, modo ne sententiam ineptam evadere velis. Denique in priore disticho persona quoque deest, quam poetam alloqui ex altero disticho cernitur.

Hae difficultates ut removeantur, mihi ita legendum videtur:

καὶ κληθέντ' ἐς δαῖτα παρέζεσθαί σε παρ' ἐσθλόν
ἄνδρα χρεών, σοφίην πᾶσαν ἐπιστάμενον,
τοῦ συνιεῖν θ' ὁπόταν κτλ.

Atque pronomen σέ in primo versu facile in τέ abire poterat; quo facto etiam καὶ κληθέντ' mutari oportebat in κεκλῆσθαι δ'; versu autem tertio θ' facile intercidere potuisse, non est, quod moneam.

Haec iam scripseram, cum *Heimsoethium* quoque vidi in hoc loco haesisse, qui similiter coniecit: εἰσκληθέντ' ἐς δαῖτα παρέζεσθαί τε — τοῦ συνέμεν θ', ὁπόταν κτλ. At in hac coniectura coniunctio duorum distichorum particulis τέ — τέ displicet, cum personae commemoratio aegre desideretur. Quam vero ob causam infinitivum συνιεῖν in συνέμεν immutetur, non liquet, cum aliis quoque locis verba in μι desinentia more verborum purorum contractorum declinentur. —

Versus 625—6 in omnibus libris sic exstant:

ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν
καὶ σιγᾶν αἰεί. τοῦτο γὰρ οὐ δυνατόν,

qui tamen quin corrupti sint, dubium esse non potest, quoniam verba τοῦτο γὰρ οὐ δυνατόν omnino non habent, quo referantur. Nam postquam poeta dixit coram stultis et loqui et tacere *grave molestumque* esse, quomodo addere potest eadem *omnino non fieri posse?* Quod ἀργαλέον est, idem non οὐ δυνατόν est.

Quas difficultates ut tolleret, *Hartung* coniecit: καὶ σιγᾶν αἰεὶ τοῦτο μὲν οὐ δυνατόν. Ac recte is perspexit post priorem distichi versum interpungendum esse, ut ἀργαλέον ad verba πόλλ' ἀγορεύειν et δυνατόν ad verbum σιγᾶν referatur, sed displicet τοῦτο μὲν, pro quo potius τοῦτό γε vel simile quid exspectes. Multo maiora moliti sunt *Herwerden* et *Heimsoeth,* quorum prior legi vult: ῥήϊτερον φρ. π. ἄ. π. ἀ. ἢ σιγᾶν αἰεί κτλ., alter: ἀργότερον κτλ., quod interpretatur esse ἀεργότερον, ἀπονώτερον. At adiectivum ἀργαλέον, non est, cur reprehendas; significat enim *rem gravem* et *molestam,* maximeque de *eis rebus* dicitur, *quae animos aut dicentium aut facientium graviter afficiant;* id quod in hunc locum cadere sponte intelleges.

His igitur coniecturis omissis ad ipsa librorum verba revertamur. Atque hoc distichon iam diximus in duas separandum esse partes, quarum altera priore, posteriore altera absolvitur

versu; pronomine *τοῦτο* vero subiectum, i. e. *σιγᾶν αἰεί,* optime repetitur et maiore quadam vi effertur. Scribimus igitur:

καὶ σιγᾶν αἰεὶ τοῦτό γε πῶς δυνατόν;

Interrogativum *πῶς* saepius ita usurpatur, ut eo res aliqua negetur, cf. Sophocl. Phil. 41. 250. 754. alia. —

Versibus 659 sq. poeta monet, ne quis hoc illud non futurum esse adiuret; nam, pergit poeta v. 660 secundum vulgatam:

θεοὶ γάρ τοι νεμεσῶσ', οἷσιν ἔπεστι τέλος·
καὶ πρῆξαι μέντοι τι. καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο κτλ.

Particulam *τοί* v. 660 *Hermann* scripsit; nam libri AOK habent *τέ,* reliqui *καὶ γάρ.* Recte id quidem; sed ita versus nondum in integra restituti sunt. Nam quid verba *καὶ πρῆξαι μέντοι τι* sibi volunt, quae neque ex antecedentibus neque ex sequentibus apta sunt? Maximae vero offensioni est particula *μέντοι,* qua oppositio infertur, quae in antecedentibus non habet, quo referatur.

Atque viri docti alii aliter hos versus corrigere conati sunt. Et *Brunckius* quidem scripsit: *χρὴ πρῆξαι μέντοι τι.* At haec sententia in hunc locum, ubi de iureiurando agitur, non quadrat; nec particula *μέντοι* ita recte dicta est. *Hartung* autem coniecit: *καὶ πρῆξαι μεμαῶτί τι κὰκ κακοῦ κτλ.,* et similiter *Mey: καὶ πρῆξαι μέλλοντι καὶ ἐκ κτλ.* At ne ita quidem illud *πρῆξαι* recte referri videtur. Accedit, quod ita vinculum inter hos versus et antecedentes desideratur. *Heimsoeth* denique suspicatur scribendum esse aut: *καὶ πρῆξαν μετά τοι τι,* aut: *καὶ πρῆξαν μετόπιν τι.* Et is quidem bene perspexit verbum *πρῆξαι* ad neminem referri posse nisi ad *deos;* quae vero coniecit, nescio an nimis obscura sint.

Jam vero ex eis, quae supra diximus, apparet verbum *πρῆξαι* ad *ipsos deos* referendum esse; idem docet particula *καί,* quae ab initio huius versus posita est. Sententiam autem, quae his verbis subest, ex tota loci ratione eam esse oportet, ut dicatur *deos saepe res improvisas atque inopinatas facere.* Existimo igitur olim scriptum fuisse: *καὶ πρῆξαι μέλλουσι*: et facere possunt, sc. id quod unquam fore negasti. Ita hic versus et antecedentia apte excipit et sequentibus bene continuatur. Verbum autem *μέλλειν* inter omnes constat saepissime ita usurpari, ut de eis rebus dicatur, quae fieri possint quasque fieri verisimile sit. Exempla exstant apud Homerum plurima, cf. e. g. Ilias 18, 364: *καὶ μὲν δή πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι κτλ.* Od. 18, 19: *ὄλβον δὲ θεοὶ μέλλουσιν ὀπάζειν.* —

Versus 673 sq. vulgo leguntur:

ἀντλεῖν δ' οὐκ ἐθέλουσιν. ὑπερβάλλει δὲ θάλασσα
ἀμφοτέρων τοίχων. ἦ μάλα τις χαλεπῶς
σώζεται. οἱ δ' ἔρδουσι. κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν
ἐσθλόν, ὅτις φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως κτλ.;

sed pro *οἱ δ' ἔρδουσι* OK habent *οἵ δ'* et K praeterea *ἔρδουσι*; pro *κυβερνήτην* O *κυβερνήτα,* K *κυβερνῆται*; pro *ὅτις* OK *δ' ὅς,* reliqui ex OK aperte correctum *γ' ὅς,* A unus *ὅτις,* ex quo etiam scriptura OK derivanda videtur.

Et hos versus, ut vulgo leguntur, non recte se habere facile intelliges, si tecum reputabis, quid illud *οἱ δ' ἔρδουσι* sibi velit. Nonne enim adversa fronte antecedentibus *ἀντλεῖν δ' οὐκ ἐθέλουσιν* repugnant haec verba? Non eadem abhorrent a sequentibus, ubi dicitur eos non *operari,* sed *commune malum in suum vertere usum?* Quid quod inter haec verba et sequentia vinculum nullum intercedit?

Quare iam *Bekker* suspicatur hoc loco vitium latere, quod sibi tollere visus est scribendo: *σώζεται, οἵ' ἔρδουσι,* quod vix in hanc sententiam quadrat. Nec magis satis facit, quod *Bergk* coniecit: *ἔργουσι* s. *εἴργουσι.* Equidem puto omnia recto talo procedere, modo cod. OK et A

vestigia prementes pro *οἱ δ' ἕρδουσι. κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν κτλ.* scribamus: *οἳ δ' ἕρδουσι, κυβερνήτην κτλ.*, i. e. qui autem operantur s. operarii, gubernatorem deiecerunt. Verba enim *οἳ δ' ἕρδουσι* idem valent ac *ἐργάται* eosque significant homines, qui mercede operantur. Eidem infra v. 679 *φορτηγοί* vocantur. —

Versus 691—2 in libris sic traduntur:

χαίρων εὖ τελέσειας ὁδὸν μεγάλου διὰ πόντου
καί σε Ποσειδάων χάρμα φίλοις ἀγάγοι.

At offendunt verba *χαίρων εὖ*, quae cum idem fere significent, non vides, cur *duo* hoc loco *simul* ponantur; satis erat *aut χαίρων aut εὖ* dicere. Quare *Hecker εὖ* mutavit in *ἐκ*, scribens *χαίρων ἐκτελέσειας*. At *χαίρων nomen proprium* est, derivatum a casu recto ***Χαίρων*** sive *Χαίρωνος*. Scribendum est igitur *Χαίρων* (s. *Χαίρων'*), *εὖ τελέσειας κτλ. Χαίρων* nomen omnibus notum est; ad nomen *Χαίρωνος* cf. Suidas s. v. *Χαίρωνος, ὄνομα κύριον.*

Sequente vero versu *Hecker* et *Bergk ἀγάγοι* recte in *ἀνάγοι* correxisse videntur. Quod autem *Hecker* in adiectivo *μεγάλου* haesit, cuius loco adiectivum *μέλανος* legi vult, non video, quo iure id fecerit. Nam nota sunt apud Homerum illa *πόντος ἀπείρων, εὐρέα νῶτα θαλάσσης, μέγα λαῖτμα θαλάσσης*, et Od. 3, 321: *πέλαγος μέγα* et deinde *ἐπεὶ μέγα τε δεινόν τε*; cf. praeterea Theognis 1098: *ἐκ λίμνης μεγάλης*. ***Periculi*** quoque notio non minus in *μέγας* inest quam in *μέλας*. —

Sed haec hactenus. Quae alia habemus, in aliud differamus tempus, ne hic libellus iusto amplior fiat. —

